

III. QUÓ DEUS PROPTER CHRISTI MERITUM.

1. Distinguendum inter *amorem benevolentiae* divinæ, & *amicitiae* divinæ. Prior in reconciliabilem fertur, ut si quis judex coram se stantem miserum habet, benevolentia in judicis mente potest oriri. Ita de DEo dicitur, Joh. III, 16. Amor amicitiæ fertur in reconciliatum, qui legi justitiæ satisfecit. Hanc hōc locō intelligimus.
2. Debet Christus spectari in hōc negotiō non ut *exemplum*, sed ut *meritorium principium* gratiæ.
3. Christus quidem, ut gratiæ autor, nobis unā *exemplum* dedit, in sold tamē exemplō ejus gratia medicinalis non consistit.
4. Exemplum Christi debet esse norma bonitatis Christi, non forma bonitatis, quā DEo placemus.
5. Christi meritum, ut indicetur, gratiam quidem *nostro* merito opponi, non autem *alieno*.

IV. OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI.

Hic primus est actus gratiæ.

1. Omnes, ut indicem gratiam universalem pro objecto habere homines in communi massâ spectatos, estque gratia hæc æqualis.
2. Äqualis est nempe *per se* & ex intentione DEI; si verò spectatur *per accidens* in respectu ad malitiam hominum, tunc diversitas oritur. Ut quod Gentiles facilius quam Judæi convertuntur, id est ex dispositione accidentium.
3. Äequalis, quatenus *secundum ordinarios actus* consideratur. In extraordianariis est discrepantia. Sic Paulus validâ gratiâ magis ad resipiscientiam fuit vocatus, quam alii Judæi.
4. Omnes, quatenus considerantur *in se & absolute*, non quatenus considerantur *in sensu composito*, ut sunt reprobi.
5. *Vult* ut indicetur, quā sit DEi *intentio*, non quomodo se *eventus* habeat.
6. Non vult tantum *voluntate signi*, sed & *beneplaciti*.
7. Non voluntate *consequente*, sed *anteecedente*.
8. Non voluntate *irresistibili*, sed *resistibili*.
9. Voluntas autem hæc non est absoluta, sed *τάξιν mediorum includit*.

V. SALUTIS MEDIA &c.

1. Ut indicetur, quod actus ille gratiæ non sit *fucarius*, sed maximè *serius*.

Zz 2

z. Me.